

SIMONIS
PARENTALIA
FRID. II
1589

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

35,-180-4°
(LN bis 294)
DIA BOX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

PARENTALIA

PIIS MANI-BVS DIVI FRIDE-RICI SECVNDI, DANIÆ & Norvuegiæ Regis, honorificentiſsi-ma ſemper memoria celebrandi, con-ſecrata: Et in celeberrima VVite-bergensium Academia pu-blicè recitata

à

M. Marco Simone Ha-therslebienſi.

Eſa. 56.

Iuſtus perit, & non eſt qui conſideret in corde ſuo: Et viri miſericordiæ colliguntur, & non eſt qui intelligat. A facie malitiæ collectus eſt iuſtus.

VVitebergæ. Typis Zachariæ Cratonis.

Anno M. D. LXXXIX.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO CHRISTIANO IV. DANIAE, NORVVEGIAE,

Vandalorum, Gothorumq́; Regi deſignato, Duci Sleſvvigæ, Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiæ, Comiti Altenburgenſium & Delmenhorſtenſium, Domino ſuo clementiſſimo, omnia precatur felicia.

ACcipe Rex placido lugubria carmina vultu,
Quæ cecinit querulis mœſta Thalia modis.
Accipe, ſed noli nimiùm indulgere dolori,
Vt res quæq́; modum ſic habet ille ſuũ.
Cogit amor, fateor, cari genitoris ademti
Flere, ſed ex luctu commoda nemo capit.
Eſt animo voluenda tibi Diuina voluntas,
Cúm ſubit amiſsi triſtis imago Patris,
Non Parcæ abrumpunt vitam, ceu credula ſenſit
Turba poëtarum, neſcia turba Dei.
Vita hominum regitur fatis, & Numinis almi
Conſilijs, vt nos pagina ſacra docet.
Certa hominum vitæ præfixa eſt meta, nec illam
Tranſilit vllus homo, nec remouere poteſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Abſque Deo nullus vitali veſcitur aura,
　Abſque Deo nullus claudit in orbe diem.
Hæc tibi Rex poſſunt animum lenire dolentem,
　Conſilio quoniam ſunt ſtabilita Dei.
Sed quia tam vehemens dolor imis ſenſibus hæret,
　Vt vix hunc verbis demere poſsit homo:
Te Deus alme precor, curæ caſusque leuamen,
　Solamenque mali, ſolue dolore *DVCEM*.
Atque tuo Flatu mœrentia pectora mulce,
　Ne nimiæ curæ noxia damna ferant.
Fac Deus vt pietas primis accreſcat ab annis,
　Ætatis *REGIS* ſit comes illa noui.
Et cùm pubuerit florens ætate virili,
　Imperio vires ſuffice Chriſte graui.
Fulciat vt patriæ patria virtute ruinam,
　Ne collabatur Dania quaſſa metu.
Sic tibi, ſic populis erit omni commodus vſu,
　His leni ſceptro, ſed pietate tibi.
Hoc Deus attentis cognoſcas auribus opto,
　Ne careant ſolito pondere vota pia.

Regiam Maieſtatem ſumma obſeruantia colens

M. Marcus Simon.

Parentalia,

PARENTALIA.

Vivit adhuc noſtro ſub pectore REGIVS HEROS,
Et quôd viuat adhuc maxima cauſa ſubeſt.
Si vacat annales longorum audire laborum,
Et iuuat humanas enumerare vices:
Non decet vt iaceant vno tumulata ſepulcro
Corpora Magnatum, & grandia facta ſimul.
Corpora conduntur terra de more, ſed æuo
Extento viuit neſcia fama mori.
Et nunc illa dies redijt, quæ ſemper acerba,
Lugubri ſemper carmine triſtis erit.
Qua REX Danorum mortalia membra reliquit,
Summo commendans Danica ſceptra Deo.
Quàm miſeram ſortem, quàm lamentabile fatum,
Quamq́ue vices varias quilibet annus habet.
Vix Holſatorum defleuimus aſpera fata,
Dum rapuit binos mors inopina DVCES.
Tertius ecce venit luctus, lacrymasq́; priores,
Quæ vix ceſsârunt, aſperitate nouat.
Dum REX Danorum per fata nouiſsima mortis
Tramite felici ſcandit ad aſtra poli.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Sic tres Heroas conſanguinitate propinquos
Exiguo ſpacio mors properata tulit.
Haud equidē ſine mente reor, ſine numine Diuûm
Euenit hic luctus, nec ratione caret.
Scilicet in vita iunctos pietate fideli
Non ſeiunxerunt vltima fata diu,
Quos iungit ſanguis maiorum, aut mutuus ardor,
Illos mors etiam iungere ſæpè ſolet.
Digna dies lacrymis, nigroq; notanda lapillo,
Atra dies, rediens poſtmodò triſtis erit:
Qua LVX Danorum clauſit ſua lumina ſomno
Extremo, extrema mox rediuiua die.
Triſtis materies hæc eſt in carmine triſti,
Cùm Patris Patriæ mors celebranda venit.
Pro verbis largæ lacrymæ, & ſuſpiria crebra
Funduntur, largo flumine charta madet.
Quæ mens concepit, ſinit haud expromere luctus,
Singultu medios impediente ſonos.
Triſtis materies, quàm vellem lætior eſſet,
Triſticiam talem triſtia verba decent.
Haud decet, vt iaceant indeplorata ſepulcro
Oſſa DVCIS tanti, cauſa doloris adeſt.
Ægypti proceres Iacobum lumine caſſum
Luxerunt, ſicut pagina ſacra docet,
Hunc

Hunc non vna dies, nec finijt altera luctum,
Septima vix tandem meta doloris erat.
Tam grauis hic luctus fuit, & tot planctibus auctus,
Vt planctus nomen fecerit iſte loco.
Non noua, ſed priſca eſt hæc conſuetudo dolendi,
Cùm clari ſubeunt vltima fata viri.
Non ergo abſq; graui cauſa nunc Dania mœret,
Mœret & inſolito ſqualida more gemit.
Si coniunx caro luget viduata marito,
Imbre per humentes vſq; cadente genas.
Si natus patris dilecti funere mœret,
Atq; animum à lacrymis vix reuocare valet.
Cauſa ſubeſt maior luctus, cum morte parentem
Totius Patriæ fata ſuprema vocant.
Hic dolor ad cunctos, ad paucos pertinet ille,
Hunc non vna domus, ſed regio ampla capit.
Natus es è ſcopulis, nutritus lacte ferino,
Et credam ſilices pectus habere tuum:
Si non in lacrymas teſtantes vulnera mentis
Solueris, & veri ſigna doloris habes.
Hinc igitur Dani lugubri veſte recincti
Incedunt cuncti, fœmina virq; ſimul.
Non exornantur ſolito de more puellæ,
Sed lugent triſtes vultu animoq; DVCEM.

Nobili-

Nobilitas auguſta ſui dat ſigna doloris,
Luctum corde premit, veſte decente gerit.
Demiſſæ ad talos veſtes à vertice pendent,
Atq; tegit medios inſtita longa pedes.
Regia tecta ſuo non ſtant ornata nitore,
Pro gemmis luctus triſtia ſigna gerunt.
Heu lacrymis dignum, ſolium regale vetuſto
Non nunc ornatu ſplendet, vt antè, ſuo.
Velatur nigro panno ſub imagine triſti,
Sic luctum ex omni cernere parte datur.
Quis tenet hîc lacrymas? nigreſcunt cuncta colore
Lugubri, vt luctus prodere ſigna queant.
Quocunq; aſpiciunt oculi, triſtiſsima cernunt,
Nullaq; læticiæ forma prioris adeſt.
Luctus vbiq; ingens, & triſtis imago paterni
Funeris, hinc lacrymas angulus omnis habet.
Tu mihi teſtis eris verax Roſchildia, nam quæ
Vidiſti coràm, tu memorare potes.
Cùm Iuniî lux quinta ſuo ſplendeſceret ortu,
Qua condebantur Regia membra ſolo.
Quàm largas lacrymas, heu quàm ſuſpiria crebra
Ad funus REGIS turba vocata dedit?
Regius ante alios hæres mœſtiſsimus omnes
Inceſsit, gemitus edere iuſsit amor.

Dux

Dux pius Vlricus confectus rebus & annis
Vultum humectauit fletibus usq́ꝫ ſuum.
Daniaci proceres paribus veſtigia curis
Fixerunt, flentes ordine continuo.
Nec lacrymas tenuêre illi, quos ſcripta vocârat
Littera, vt ornarent funeris exequias.
Cætera turba modis varijs funebria feſta
Defleuit, querulos edidit atq; ſonos.
Quin fleuêre ſimul pueri, innuptæq; puellæ,
Vix caruit lacrymis vllus in vrbe locus.
Nec minus abſentes, quorum non ora dabatur
Cernere, ſemoti quos tenuêre loci,
Mortem luxerunt inopinam hoc tempore REGIS,
Libantes lacrymas funeris exequijs.
Quos non præſentes gemitus, hos mente dederunt
Abſentes, triſtes imbre rigante genas.
Sic Holſatorum, quorum vicina ſub axe
Arua iacent, lacrymis non caruêre genæ.
Duxerunt triſtes imo ſuſpiria corde,
Vicinos quoniam proxima damna manent.
Principibus binis orbati tempore paruo
In te Diue Pater ſpem poſuêre ſuam.
Sed non certa fuit ſpes hæc mœrentibus, vnde
Hos pars præſentis magna doloris habet.

Holſatis vicina tenent loca mercibus amplæ
    Vrbes, Hamburgum & clara Lubeca ſitu,
Hæ iunctis lacrymis, quoniam vicinia iungit,
    Triſtes exequias inſtituêre DVCI.
Iure quidem, quoniam fuit his tutela fidelis,
    Auertit cura multa pericla ſua.
Roſtochiũ, vrbs Muſis varias memorata per oras,
    Præſentis luctus triſtia ſigna dedit.
Docta etiam fleuit clarorum turba Virorum,
    Quos largo ſumtu Balthica littora alunt.
His miſsis mea Muſa venit lugubris ad illum,
    Qui Chriſti nomen cum pietate gerit,
Hunc puto, Saxoniæ qui claris præſidet oris,
    Auguſtiq; patris ſceptra beata tenet.
Non ceſsit Danis lacrymis, nec mente minorem
    Accepit luctum, hic ſanguinis ardor erat,
Nec tantùm ipſe ſuum per triſtia ſigna dolorem
    Oſtendit, fundens cum gemitu lacrymas:
Sed ſimul hi, gremio quos inclyta detinet aulæ,
    Fleuerunt clari nobilitate Viri.
Sic mortem vnius varias luxêre per oras,
    Nec ſtatuent lacrymis tempora longa modũ.
Quanquam non lacrymis hic eſt deflendus, in aſtris
    Qui nunc ex omni parte beatus ouat.

Nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Nec ſibi vult lacrymas mitti poſt funera virtus,
Sed meritò laudes exigit illa ſuas.
Quis tamen à lacrymis, niſi duro robore natus
Temperet? immenſi cauſa doloris adeſt.
Hunc immobilibus ſaxis, & robore natum
Crediderim, hæc quē non flectere cauſa poteſt.
Si quem communis non ſollicitudo ſalutis
Afficit, hunc propriæ tangere cura ſolet.
REX FRIDERICUS erat dubijs fidiſsima rebus
Spes, turris, certum præſidiumque ſuis.
Quàm præclara ſuæ moriens monimenta reliquit
Virtutis, iunctæ cum pietate pari?
Dania teſtatur, cuius vix angulus ullus
Virtutis vacuus conſpiciendus erit.
Doctrinam aſſeruit Chriſti monſtrante Luthero,
Doctrinam, per quam ſtatq; caditque ſalus.
Raſorum quondam fratrum devota catervæ,
Atq; cuculligero templa dicata choro,
In patriæ vertens uſus tibi Chriſte ſacravit,
Seminiumque gregis iam ſchola facta tui.
Multas ære ſcholas magno fundavit, & auxit
Quas illi Patris tradiderat pietas.
Prima & ſumma Dei fuit illi cura, nec ulla
Res remorata pium relligionis opus.

Proxima deinde fuit communis cura ſalutis,
Sic proceſſerunt ordine quæq; ſuo.
Subſidijs firmis quot propugnacula prudens
Condiderit, longa eſt enumerare mora,
Scilicet vt tumidos auſus auerteret hoſtis,
Et tegeret ciues pace beante ſuos.
Sic etenim tutó nullo impediente, labores
Exercere poteſt ſubdita turba ſuos.
Prætereo quas ille rates, quas ſtruxerit arces,
Illa ſuis extant conſpicienda locis.
Quæ fugiunt oculos, in corde latentia cœco
Semina virtutum ſunt memoranda mihi.
Hunc lenem miſeris genuit natura benigna,
Hinc meritò nomen mite parentis habet.
Nec minùs aſperijs, quos legum à tramite recto
Ad curuum flexit deuius error iter.
Scilicet eiuſdem eſt, quamuis pugnare videtur,
Simplicibus facilem, ſontibus eſſe grauem.
Legis ad exemplum Diuinæ flexit habenas
Iuris, non ulla mobilitate vagas
Quas alijs leges moris præſcripſit honeſti,
Exemplo expreſsit non ſine laude ſuo.
Nam tanquam litui clangorem caſta ſequuntur,
Sic ſequitur vitam ſubdita turba DVCIS.

Diues

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Diues inopsq́; illi fuit in diſcrimine nullo,
Diſsimiles rexit ſed pietate pari.
Curauit ne vi tenues premerentur iniqua,
Pauperis hoc ſemper iudice cauſa ſtetit.
Oppreſsi attentas aduertit queſtibus aures,
Anchora ſic miſeris certa ſalutis erat.
Exortas lites æquali lege diremit,
Nullius partis iuſta querela fuit.
Vicinos populos non irritauit ad arma,
Sed ſemper blandæ pacis amator erat.
Verùm quando hoſtis pugnando laceſſeret ipſum,
Et cuperet pacis rumpere vincla bonæ:
Hic ſenſit Regem *FRIDERICUM* in vtrumq; paratum,
Vt tolerare bonos, ſic prohibere malos.
Non tamen in medijs armis laxauit habenas
Iræ Mauortis, ceu furor ille ſolet.
Aſt animo ſemper pacem reſpexit amicam,
Depoſitis armis conditione piâ.
Nam Martis diri nimiùm indulgere furori
Humanæ vitæ mutua vincla vetant.
Vt capere arma decet, cùm iuſtus poſtulat vſus,
Ponere ſic iuſta conditione decet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Et quoniam multi, quorum virtutibus obſtat
Paupertas, Phœbum linquere ſæpè ſolent:
Ne meta ad Muſas occluſa maneret egenis,
Indiga muneribus turba leuata DVCIS.
Quis neſcit ſumtus, quos REX Fridericus alumnis
Decrevit largos Hafnia clara tuis?
Non ſchola tam parva eſt Danorū ſparſa per oras,
Quam non ſuſtentet dextera larga DVCIS.
Nuper Hatherslebica eſt ſchola ſūtibus aucta beni-
Fundavit *IANI* quam pia cura *DVCIS.* gnis,
Prætereo juvenes, varijs quos fovit in oris,
Hos omnes longa eſt enumerare mora.
Iam mihi ſexta citis alis prætervolat æſtas,
Qua me ſubſidio Regia dextra fovet.
Sed quia non tam larga mihi data copia fandi,
Vt laudes omnes enumerare queam:
Laudibus innumeris haud quidquā infantia lingvæ
Detraxiſſe poteſt, quæ ſilet, illa colit.
Quæ non ſunt expreſſa ſatis, ſub pectore condo,
Plurima nam reſtant, quæ memoranda forent.
Tempore deficiar, ſi perſequar ordine cuncta,
Vix magnus capiet nomina nuda liber.
Et quantò melior fuit hic, quem lumine caſſum
Lugemus, tantò luctus erit gravior.

Cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Cùm moritur civis, levis eſt iactura ſepulcri,
Non urbis ſecum commoda cuncta trahit.
Mors magni REGIS, ſed ſint præſagia falſa,
Aufert imperio commoda magna ſuo.
Cùm vivunt REGES, ſunt vſibus omnibus apti,
Sed linqunt mortis maxima damna ſuæ.
Et quoniam ſatis eſt nota experientia multis
Exemplis, verbis non eget illa meis.
Sed tantùm cauſam revocabo ab origine prima,
Averti ut recta cognita poſsit ope.
Cùm Deus humanæ vult condere cõmoda genti,
Largitur REGEM, qui ſapienter agat.
Sed cùm peccatis hominum irritatur ad iram,
Aufert iratus, quem dedit antè bonus.
Hæc eſt cauſa mali, nil ſydera rara faceſſunt,
Tantùm portendunt iſta futura mala.
Scilicet incauto Deus haud vult plectere damno,
Mittitur ergo mali nuncia ſtella noua.
Hæc animis Dani veſtris mea figite dicta,
Ne vos ſecuros damna futura premant.
Innumeros vobis REGEM conceſsit in vſus,
Vt regeret patrij ſceptra beata ſoli.
Quo DVCE regnabat veſtras pax alma per oras,
Et ſtabant certo commoda veſtra loco.

Hunc

Hunc deſiderijs nunc exoptatis anhelis,
Tempore nec datur hoc vlteriore frui.
Optima quæq; necis manibus rapiuntur auaris,
Explentur numeris deteriora ſuis.
Rex ſæuus vitam multos extendit in annos,
Vt cruciet ciues maxima meta datur.
Sed bonus & prudens in commoda cuncta ſuorũ,
Cui multos optat ſubdita turba dies.
Vix vbi pauca ſuis adiecit luſtra diebus,
Mox immatura morte perire ſolet.
Scilicet in mundo hoc eſt maxima turba malorũ,
Ergo malos ſeruant numina læſa Duces.
Et quoniam bonitas pauca eſt, & rara bonorum
Turba, bonus Princeps concidit ante diem.
Præterea multi non grato pectore REGVM
Officia agnoſcunt, nec bona dona Dei.
Vſibus aſsiduis vileſcunt multa ſubinde,
Vt non æquali ſint in honore ſuo.
Hinc bona quæ non ſunt ſatis intellecta fruendo,
Tandem his orbati diſcimus eſſe bona.
Tunc paſsim lacrymæ, ſed non reuocabilis iſtis,
Quem ſemel eripuit mortis auara manus.
Debita nec fiunt pro longa ætate regentum
Vota, velut paſsim pagina ſacra monet.

Vt poſ-

Vt poſsint ſalui multis ſupereſſe diebus,
Et ſibi commiſſum pace beare gregem.
Hinc Deus omnipotens iuſtas exardet in iras,
Et rapit innumeros è ſtatione Duces.
Vt mala mortales, quoniam non commoda poſ-
ſunt,
Summi conuertant ad pia vota Dei.
Sed ſi clauſa hominum tam duro pectora ferro
Sunt, vt nec talis pœna mouere queat,
Tunc Deus omnigenis pœnis immittit habenas,
Vt malè grata fames & fera bella premant.
Hæc animis repetenda pijs ad funera REGVM,
Quæ non communi ſunt reputanda modo.
Vt quæ mors Regum portendit fata ſiniſtra,
Et culpa veniunt accelerata mala,
Maturis votis homines auertere tentent,
Ne tardata nimis ſint malè grata Deo.
Placatur pietate Deus, ſi tempore primo
Fiat, & hanc magnum pondus habere iubet.
Ad nimiùm ſeram placidas ſæpè obſtruit aures,
Cùm furor exarſit, nil medicina valet.
Hinc veſtro Dani medicinam adhibere dolori,
Et tempeſtivas mittite ad aſtra preces.

Offenſum placate Deum pietate, nec iræ
Ardenti ſtipulas addite criminibus.
Nulla medela alia eſt, hic ſauciat atq; medetur,
Illius coëunt vulnera cuncta manu.
Conſilium humani cordis vix proderit vnquam,
Anxia nil hominum ſollicitudo iuuat.
Sed pia vota valent, lacrymis pro crimine fuſis
Placari læſi numinis ira ſolet.
Plurima venturi caſus dat ſigna Creator,
Exuat ut mores impia turba malos.
Et prece matura damnis venientibus obſtet,
Antè Dei læſi quàm fremat ira grauis.
Sed quia terrigenæ nolunt ſua crimina flere,
Aſsiduas cœlum ſoluitur in lacrymas.
Hinc immutatis vicibus iam tempora currunt,
Quæ ſunt æſtatis, fulgura bruma videt.
Et quanquam nullo cumulantur crimina fine,
Sed renouant iram continuata Dei.
Non tamen effuſis pœnas intentat habenis,
Sed differt illas vlteriore mora.
In medijs pœnis reſtat ſpes certa ſalutis,
Si non corda homines clauſa adamante gerãt.
Hinc ipſo in luctu, quem nobis fata ſiniſtra
Fecerunt, bonitas cernitur uſque Dei.

Abripuit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Abripuit Patrem, ſed certam in prole reliquit
Spem, collabantes quæ revocaret opes.
Quamvis eſt igitur meritis indebita noſtris,
Magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei.
Natus ad exemplar patriæ virtutis anhelans,
Subiectos magna dexteritate reget.
Et laude accenſus pulcra pietatis avitæ,
Non cedet factis inferiore loco.
Sed documenta dabit, quali ſit ſangvine cretus,
Aequabit laudes æmula cura Patrum,
Sic ſolet in ſobolem deſcendere Regia virtus,
Creſcat ut extento tempore ſtirpis honos.
Hunc natum Regis, ſpes in quo noſtra recumbit,
Salvum conſervent mitia fata diu.
Sic quæ concuſſa eſt, ut iam caſura putetur,
Illius ſtabit fulta ruina humeris.
Et quia Regis adhuc ætas iuvenilibus annis
Floret, ut haud regni ſceptra ſubire queat.
Præſtantes pietate viros, virtute celebres,
Factorum multis laudibus eximios,
Vſibus edoctos longis, artisq; peritos,
Præfecit regno prouida cura Dei.
Vt dũ CHRISTIADES plenis adoleuerit annis,
Hi gererent Regis dexteritate vices.

Quattuor unanimes animis & viribus æquis,
Geſtant imperij multa regentis onus.
Te DEVS alme precor, vires his ſuffice magnas,
Et Flatu ipſorum pectora flecte tuo.
Vt magnam imperij molem, magnosq́; labores
Vsq; indefeſsis ſuſtineant humeris.
His votis opus eſt ex imo corde profectis,
Vt quæ circumſtant, ſæva pericla fugent.
Dania pro ſceptris Regis felicibus ora,
Vt ſint omnigenis incomitata malis.
Vt natum Regis ſimilis fortuna reviſat,
Qua ſemper felix floruit antè Pater.
Sed nunc Muſa libens, unde es digreſſa, redito,
Et luctum placido claudito fine grauem.
REX FRIDERICVS ouat meliori in ſede receptus,
Aſcitus ſuperis nil niſi læta videt.
Illi parta quies, illi eſt fortuna peracta,
Non dubiæ ſortis ſunt metuenda mala.
Incerta in terris, in cœlis vita quieta eſt,
Non ibi ſunt varijs gaudia mixta malis.
Viventes alia ex alijs in fata vocantur,
Fortunæ dubias deſpicit ille vices.
Hanc tibi Dive Pater grator *FRIDERICE* ſalutem,
Quæ ſperata diu, iam tibi certa data eſt.

Quanta

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Quanta ſalus, ſuperos in clara luce tueri,
Angelici cœtus colloquijsque frui?
Quanta ſalus Chriſti voces audire loquentis,
Et res Divinas diſcere ab ore Dei?
Quæ quondam magnis immerſa fuêre tenebris,
Cuncta ibi conſpicua cognita luce patent.
Quàm iucunda quies, ſi menſæ accumbere detur
Sanctorum Vatum, & mutua verba dare?
Diſcimus hîc umbras, eſt rara ſcientia rerum,
Sed ſchola cœleſtis tradere cuncta poteſt.
Hîc ſol iuſticiæ rutilanti luce coruſcans
Illuſtrat radijs lumina cuncta ſuis.
Corpora Sanctorum Phœbeæ lampadis inſtar
Lucent, ut veré pagina ſacra docet.
Præ reliquis autem ſplendenti luce refulgent,
Qui ſalvante alios erudiêre fide:
Et qui ſubiectos ſceptris rexêre paternis,
Non aſpernantes iuſſa verenda Dei.
Hos inter *FRIDERICE* pater, ceu flamma coruſcas,
Præ reliquis clarum lux tua lumen habet.
Nam tibi Chriſtus erat viventi ſola voluptas,
Ac exſpiranti ſpes ea ſola fuit.
Subiectæ turbæ non ſceptra tremenda fuerunt,
Imperium mixtum cum bonitate fuit.

Obtigit ergo ſalus, quam ſpondent verba ſacrata
His, quorum in Chriſti lumina clauſa fide.
Hîc *FRIDERICE* parens inter conuexa locate
Sydera, Magnates cernis adeſſe pios.
Cernis auos, proauosq; tuos longo ordine reges,
Luce refulgentem cernis adeſſe patrem.
Hîc ſenior IANVS, cui partim Cimbrica tellus
Parebat, clara luce videndus adeſt.
Grandibus hîc factis præclarum cernis ADOL-
PHVM,
Quem Cimbri propera morte obijſſe dolent.
Hîc etiam AVGVSTI magni datur ora tueri,
Per quem Saxoniæ plurima parta ſalus.
Heroasq; alios cernis, quos ordine cunctos
Enumerare vetat temporis arcta mora.
Salue DIVE PARENS, clarum decus addite Di-
uis
Salue, iterum ſalue, nam tibi parta ſalus.
Salue CARE PATER patriæ, te lumine caſ-
ſum
Lugemus, tua ſed gaudia flere vetant.
O ſaluete pij manes, ſaluete per annos
Perpetuos, nullo ſtat ſine fine ſalus.

Ver

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Ver eſt æternum vobis, æſtasq́; perennis,
Non veſtros flores lædere bruma poteſt.
Ver erat in terris, & formoſiſsimus annus,
Cùm tua claudebas lumina Dive Pater.
Ex vere hoc terræ te ver cœleſte vocavit
In campum Elyſium, ſtelliferasque domos.
Ergo pij flores animæ ſalvete beatæ,
Aureaq́; æterno poma referte Deo.
Salve divini cuſtos fidiſsime verbi,
Aſſertor fidei ſalvificantis ave.
Salve Muſarum decus & largiſsime fautor,
Atq́; hæc à Muſis accipe dona tuis.
Perpetuùm ſalue turbæ ſolamen egenæ,
Salve, & perpetuùm Rex *FRIDERICE*
Vale.

DIXI.

QVERELA

DE INCONSTANTIA ET BREuitate vitæ humanæ, ſcripta ab eodem.

ὦ πόποι, ὅσοι ἔασι βροτοὶ κατ᾽ ἀπείρονα γαῖαν
ἀνύμοροι σύμπαντες, ὁμῶς νέοι ἠδὲ παλαιοί
οὐδεὶς ἀνθρώπων θάνατον, καὶ κῆρα μέλαιναν
φεύγει, πάντες ἴσον νέκυες, δμῶες καὶ ἄνακτες,
ὄλβιος ἠδὲ πένης θάνατον πάσχουσιν ὁμοίως.
θνήσκει ὁμῶς καὶ ἀεργὸς ἀνὴρ, καὶ πολλὰ ἐοργώς.
εὖτ᾽ ἂν μοῖρ᾽ ἔλθῃ, τότε φείδεται οὐδενὸς ἀνδρῶν.
ἔστ᾽ ἔτι τῆς βιοτῆς καιρὸς βραχὺς ἠδὲ ἄδηλος,
πολλάκι μοῖρα νέον μάλα, καὶ εὔρωστον ἀφῆκε,
νήπιος ἐν πρώτῳ βίου οὐδῷ πότμον ἐπισπῇ,
οἵηπερ φύλλων γενεή, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.
φύλλα ἅμα πνοιῆς μεγάλης ἀνέμοιο πεσοῦσι.
Ἄλλα δὲ ἐξαπίνης ἔαρος παρὰ γίγνεται ὥρην.
ὡς θάνατος βιοτῆς θνητῶν βασιλεύει ἁπάντων,
οἱ μὲν γίγνονται, οἱ δ᾽ ἐκλείπουσιν ἐπάλλαξ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 294 [35,-180 4°]